

tamen quod aequiore animo ferunt homines, quem princeps parum feliciter genuit, quam quem male elegit.

VIII. Sedulo ergo vitavit hunc casum, nec iudicia hominum, sed deorum etiam in consilium assumpsit. Itaque non tua in cubiculo, sed in templo, nec ante genialem torum, sed ante pulvinar Jovis Optimi maximi, adoptio peracta est: qua tandem non servitus nostra, sed libertas, et salus, et securitas fundabatur. Sibi enim dii gloriam illam vindicaverunt: horum epus, horum illud imperium; Nerva tantum minister fuit: uterque, qui adoptaret tam paruit, quam tu, qui adoptabar. Allata erat ex Pannonia laurea, id agentibus diis, ut invicti imperatoris exortum victoriae insigne decoret. Hanc Imperator Nerva in gremio Jovis collocarat, quum repente solito major et augustior, advocata hominum concione deorumque, te filium sibi, hoc est unicum auxilium, sessis rebus assumpsit. Inde quasi deposito imperio qua securitate, qua gloria laetus? nam quantulum resert, deponas an partiaris imperium, nisi quod difficilius hoc est; non secus ac praesenti tibi innixus, tuis humeris se patriamque sustentans, tua inventa, tuo robore invaluit! Statim consedit omnis tumultus. Non adoptionis opus istud fuit, sed adoptati: atque adeo temere fecerat Nerva, si adoptasset alium. Oblitine sumus, ut nuper post adoptionem non desierit seditio, sed cooperit? Irritamentum istud irarum, et fax tumultus fuisset, nisi incidisset in te. An dubium est, ut dare posset imperium imperator, qui reverentiam amiserat, auctoritatis ejus effectum esse, cui dabatur? Simul filius, simul Caesar, mox Imperator, et consors tribuniciae potestatis, et omnia pariter, et statim factus es, quae proxime parens verus tantum in alterum filium contulit.

IX. Magnum hoc tuae moderationis indicium, quod non solum successor imperii, sed particeps etiam sociusque placuisti. Nam successor, etiamsi nolis, habendus es: non es habendus socius, nisi velis. Credentne posteri, patricio